

An vero fœderis promissio tantum fuit terrena: quia dicitur, *semini tuo dabo hanc terram*? Imò promissio seminis & benedictionis fuit caput fœderis: quæ hic quidem tacetur; quia de ea non amplius ambigebat Abram: sed tantum eius, quæ de terra fuit, confirmationem desiderabat. Ideo eam solam Deus nunc repetit, actioni ceu finem impositurus, quasi dicat, quod itaq; cognoscere desiderasti, certo iam habes fœdere, & iure iurando tibi firmatum, semini tuo me daturum hanc terram.

**A FLVMINE MIZRAIM.** Amplificationis causa limites & populos terræ exprimit, vt de magnitudine hereditatis promissæ magis constet. Sic Exod. 23. & Iosu. 1. Cananæa limitatur. Duos tantum limites nominat, Orientalem & Australem, quia ex his duo oppositi intelliguntur. *Flumen Mizraim* Hebræi doctiores Nilum interpretantur, sicut Num. 34. 5. & Iosu. 13. 2. Nostri interpretes torrentem *Sichor* intelligunt, diuidentem Ægyptum à Cananæa infra Gazam urbem: quod in medio relinquo. Nilus videtur longius abesse, cum mediam Ægyptum quasi per dorsum secet. Vnde necesse fuerit, bonam partem Ægypti & Arabiæ terræ promissionis accensere, si Nilus fuit eius terminus: quod non fit probabile. **V S Q V E**

**A D MAGNVM FLVMEN EUPHRATIS.** Magnus vocatur *Euphrates*: quia vnus ex maximis & celeberrimis fluuiis totius orbis. Danubius & Rhenus sunt celeberrimi Europæ: Nilus Ægypti & Africa: Indus & Ganges India: Euphrates vero Asia. Porro impletionem videtur sortita hæc promissio tum maxime, quando Dauid Philistæos, Idumæos, Ammonitas, Moabitas tributarios fecit, omnemque Syriam vsque ad Euphratem fluuium regno suo subiecit, 2. Sam. 8. & 1. Paral. 18. Item in Solomone, 1. Reg. 4.

**CENÆVM ET CENIZÆVM.** Decem populos Cananæos recenset, vt inde amplitudinem sui seminis Abram tantam cogitet futuram, quæ decem populorum territorium sua numerositate impleret. De his populis dictum fuit supra cap. 10. 18. Ex vndecim filiis Canaan omnes ortum ducebant: duo forte coierunt in vnum, vt ex vndecim fierent decem: quidam etiam appellationes mutauerunt, vel à nepotibus Canaan denominationem acceperunt. *Cenai*, *Cenizai* & *Cadmonai* alibi nusquam memorantur. *Rephaimi* cap. 14. cæli dicebantur à quatuor Regibus Orientis: sed non erant deleti plane; *Cananei* modo communiter omnes, modo speciatim aliqui appellantur.

## CAPITIS DECIMISEXTI

### Argumentum, Vñus, & Partitio:

**D**escribitur historia nati Ismaelis ex Abram & Hagar: quæ tum propter alia multa, tum ideo præcipue est memorabilis, quod Apostolus Gal. 4. 24. allegoriam præfigurata legalis seruitutis, quæ sub Veteri Testamento fuit, per Christum tandem sub Nouo Testamento abolendæ in ea monstrauit. Abram suadente Sarai ancillam ducit uxorem, quæ grauida facta & forte magis chara viro insolescit aduersus heram: ideo eijcitur domo: sed monitu Angeli reuertitur, & parit Ismaelem. Discemus etiam, sanctos non raro errare consiliis, quando à regula verbi atque ordinis diuini defleunt, & Dei prouidentiam atque promissiones rationis iudicio aestimant: Et consilia bona esse, quorum non solum finis est bonus, sed etiam media sunt legitima; Et, quæ sola intentione bona absque Dei verbo suscipiuntur, plerunque infeliciter credere, & secum trahere calamitates: Denique Deum propter bonos etiam malis beneficia conferre.

Bartes: